



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Epistola XXXIV. Gregorii Papae I. Ad Leonem Episcopvm Catanensem. Ne subdiaconi cum suis vxoribus misceantur, & de vxore Speciosi subdiaconi in monasterium detrusa.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

addere, vel adimere præsumit. Cum itaque integritatem nostram ex aperta mea traditione seu professione cognoscitis, dignum est vt de ecclesia beati Petri apostolorum principis nullum vltius scrupulum dubietatis habeatis: sed in vera fide persistite, & vitam vestram in petra ecclesiæ, hoc est, in confessione beati Petri apostolorum principis solidate: ne tot vestra lacrymæ tantaque bona opera pereant, si a fide vera inueniantur aliena. Sicut enim rami sine virtute radicis arefiunt, ita opera quantumlibet bona videantur, nulla sunt, si a soliditate fidei disjunguntur. Decet ergo gloriam vestram ad reuerendissimum & fratrem & coepiscopum nostrum Constantium, cuius & fides & vita olim mihi bene est approbata, sub omni celeritate transmittere, eique directis epistolis indicare ordinationem eius quam benigne suscipitis, & quia ab eius ecclesiæ communione in nullo separamini, vt vere, sicut de bona ac fideli filia, communi exultatione gratulemur. In hoc autem vos ac vestra opera Deo placere cognoscite, si prius quam eius examen veniat, sacerdotum illius iudicio comprobentur.

EPISTOLA XXXIV.

GREGORII PAPÆ I.

AD LEONEM EPISCOPVM CATANENSEM.

Ne subdiaconi cum suis vxoribus misceantur, & de vxore Speciosi subdiaconi in monasterium detrusa.

Gregorius Leoni episcopo Catanensi.

Grat. dist.
32. cap. 24.
& 27. Anf.
lib. 7. cap.
138.
Poly. lib. 4.
tit. 31.

MULTORVM relatione comperimus hanc apud vos olim consuetudinem tenuisse, vt subdiaconi suis licite miscerentur coniugibus. Quod ne denuo quisquam præsumeret, a Seruodei, sedis nostræ diacone, ex auctoritate nostri decessoris est isto modo prohibitum; vt eodem tempore hi qui iam vxoribus fuerant copulati, vnum ex duobus eligerent, id est, aut a suis vxoribus se abstinerent, aut certe nulla ratione ministrare præsumerent. Et quantum dicitur, Speciosus tunc subdiaconus pro hac re ab administrationis se suspendit officio, & vsque in obitus sui tempus notarii quidem gessit officium, & a ministerio, quod

quod subdiaconum oportuerat exhibere, cessauit. Post cuius obitum, quia relicta eius Honorato marito est sociata, a tua eam fraternitate in monasterio cognouimus esse deputatam. Ideoque si, ut fertur, eius se maritus ab administratione suspendit, antedictæ mulieri non debet officere, quod ad secundam coniugii copulationem migravit: præsertim si non tali mente subdiacono iuncta est, ut a carnis voluptatibus abstineret. Si ergo ita se veritatem, quem admodum edocti sumus, habere cognoscis; prædictam te mulierem de monasterio per omnia conuenit relaxare, ut ad suum maritum sine aliqua possit formidine remeare. De cetero vero fraternitas tua sit omnino sollicita, ut quos ad hoc iam officium contigerit promoueri, hoc quam maxime diligenter inspiciat; ne si vxores habent, miscendi se cum eis licentia potiantur, sed ad similitudinem sedis apostolicæ eos cuncta obseruare sua nihilo minus districtione constituat.

EPISTOLA XXXV.

GREGORII PAPÆ I.

AD VICTOREM ET COLVMBVM AFRICÆ EPISCOPOS.

De hæresi Donatistarum iterum pullulante.

Gregorius Victori & Columbo episcopis Africae.

QVALITER neglectus inter initia morbus vires accipiat, ex nostris necessitatibus, quas patimur, in hac ciuitate constituti probauimus. Huic igitur nascenti morbo, si doctorum obstaret prouisio medicorum, scimus quidem quia ante cessaret, quam tarde procuratus plurimum noceret. Huius ergo considerationis ratio vehementer nos debet impellere, ut animarum morbis initiantibus tota festinemus possibilitate resistere, ne dum salubria adhibere medicamenta negligimus, multorum nobis vita, quos Deo nostro contendimus lucrari, subripiatur. Vnde nos oportet ita caulas ouium, quibus nos custodes videmur esse propositi, vigilantia custodia atque sollicitudine præmunire, quatenus lupo insidians vndique pastores sibi repugnantes inueniat, & viam ingrediendi in eas non habeat. Comperimus siquidem Donatistarum stimulos sic in illis partibus gregem turbasse dominicum, ac si nullius pasto-

Concil. Tom. 13.

Bbb